

CLAUDIEN

EPITHALAMIUM DE NUPTIIS HONORII AUGUSTI (363 vers)

## PRAEFATIO

E\_1      v.1      Surgeret in thalamum ducto cum Pelion arcu  
           2      nec caperet tantos hospita terra deos,  
           3      cum socer aequoreus numerosaque turba sororum  
           4      certarent epulis continuare dies,  
           5      praebereretque Jovi communia pocula Chiron  
           6      molliter obliqua parte refusus equi,  
           7      Peneus gelidos mutaret nectare fontes,  
           8      Oetaeis fluerent spumea vina jugis,  
           9      Terpsichore facilem lascivo pollice movit  
 10      barbiton et molles duxit in antra choros.  
 11      Carmina nec superis nec displicuere Tonanti,  
 12      cum teneris nossent congrua vota modis.  
 13      Centauri Faunique negant ; quae flectere Rhoeton,  
 14      quae rigidum poterant plectra movere Pholum ?  
 15      Septima lux aderat caelo totiensque renato  
 16      viderat exactos Hesperus igne choros.  
 17      Tum Phoebus, quo saxa domat, quo pertrahit ornos,  
 18      pectine temptavit nobiliore lyram  
 19      venturumque sacris fidibus jam spondet Achillem,  
 20      jam Phrygias caedes, jam Simoenta canit.  
 21      Frondoso strepuit felix hymenaeus Olympo ;  
 22      reginam resonant Othrys et Ossa Thetim.

## EPITHALAMIUM

E\_2      v.1      Hauserat insolitos promissae virginis ignes  
           2      Augustus primoque rudis flagraverat aestu.  
           3      Nec novus unde calor nec quid suspiria vellent  
           4      noverat incipiens et adhuc ignarus amandi.  
           5      Non illi venator equus, non spicula curae,  
           6      non jaculum torquere libet : mens omnis aberrat  
           7      in vultus quos pinxit Amor. Quam saepe medullis  
           8      erupit gemitus ! Quotiens incanduit ore  
           9      confessus secreta rubor nomenque beatum  
 10      injussae scripsere manus ! Jam munera nuptiae  
 11      praeparat et pulchros, Mariae sed luce minores,  
 12      elitit ornatus, quicquid venerabilis olim  
 13      Livia divisorumque nurus gessere superbae.  
 14      Incusat spes aegra moras longique videntur  
 15      stare dies segnemque rotam non flectere Phoebe.  
 16      Scyria sic tenerum virgoflammabat Achillem  
 17      fraudis adhuc expers bellatricesque docebat  
 18      ducere fila manus et, mox quos horruit Ide,  
 19      Thessalicos roseo nectebat pollice crines.  
 20      Haec etiam queritur secum : "Quonam usque verendus  
 21      cunctatur mea vota socer ? Quid jungere differt

22 quam pepigit, castasque preces implere recusat ?  
 23 Non ego luxuriem regum moremque secutus  
 24 quae sivi vultum, thalamis ut nuntia formae  
 25 lena per innumeros iret pictura penates ;  
 26 nec variis dubium thalamis lecturus amorem  
 27 ardua commisi falsae conubia cerea,  
 28 non rapio praeeeps alienae foedera taedae,  
 29 sed quae sponsa mihi pridem patrisque relictam  
 30 mandatis uno materni sanguinis ortu  
 31 communem partitur avum. Fastigia supplex  
 32 deposui gessique procum ; de limine sacro  
 33 oratum misi proceres qui proxima nobis  
 34 jura tenent. Fateor, Stilicho, non parva poposci,  
 35 sed certe mereor princeps hoc principe natus,  
 36 qui sibi te generum fraterna prole revinxit,  
 37 cui Mariam debes. Faenus mihi solve paternum,  
 38 redde suos aulae. Mater fortasse rogari  
 39 mollior. O patrui german, cui nominis heres  
 40 successi, sublime decus torrentis Hiberi,  
 41 stirpe soror, pietate parens, tibi creditus infans  
 42 inque tuo crevi gremio, partuque remoto  
 43 tu potius Flaccilla mihi. Quid dividis ergo  
 44 pignora ? Quid juveni natam non reddis alumno ?  
 45 Optatusne dies aderit ? Dabiturne jugalis  
 46 nox umquam ? " Tali solatur vulnera questu.  
 47 Risit Amor placideque volat trans aequora matri  
 48 nuntius et totas jactantior explicat alas.  
 49 Mons latus Eoum Cypri praeruptus obumbrat,  
 50 invius humano gressu, Phariumque cubile  
 51 Proteos et septem despectat cornua Nili.  
 52 Hunc neque candentes audent vestire pruinæ,  
 53 hunc venti pulsare timent, hunc laedere nimbi.  
 54 Luxuria Venerique vacat. Pars acrior anni  
 55 exulat ; aeterni patet indulgentia veris.  
 56 In campum se fundit apex ; hunc aurea saepes  
 57 circuit et fulvo defendit prata metallo.  
 58 Mulciber, ut perhibent, his oscula conjugis emit  
 59 moenibus et tales uxorius obtulit arces.  
 60 Intus rura micant, manibus quae subdita nullis  
 61 perpetuum florent, Zephyro contenta colono,  
 62 umbrosumque nemus, quo non admittitur ales,  
 63 ni probet ante suos diva sub judice cantus :  
 64 quae placuit, fruitur ramis ; quae victa, recedit.  
 65 Vivunt in Venerem frondes omnisque vicissim  
 66 felix arbor amat : nutant ad mutua palmae  
 67 foedera, populeo spirat populus ictu  
 68 et platani platanis alnoque adsibilat alnus.  
 69 Labuntur gemini fontes, hic dulcis, amarus  
 70 alter, et infusis corrumpunt mella venenis,  
 71 unde Cupidineas armari fama sagittas.  
 72 Mille pharetrati ludunt in margine fratres,  
 73 ore pares, similes habitu, gens mollis Amorum.  
 74 Hos Nymphae pariunt, illum Venus aurea solum  
 75 edidit. Ille deos caelumque et sidera cornu  
 76 temperat et summos dignatur figere reges ;  
 77 hi plebem feriunt. Nec cetera numina desunt :  
 78 hic habitat nullo constricta Licentia nodo  
 79 et flecti faciles Irae vinoque madentes

80 Excubiae Lacrimaeque rudes et gratus amantum  
 81 Pallor et in primis titubans Audacia furtis  
 82 jucundique Metus et non secura Voluptas ;  
 83 et lasciva volant levibus Perjuria ventis.  
 84 Quos inter petulans alta cervice Juventas  
 85 excludit Senium luco. Procul atria divae  
 86 permutant radios silvae obstante virescunt.  
 87 Lemnius haec etiam gemmis extruxit et auro  
 88 admiscens artem pretio trabibusque smaragdis  
 89 supposuit caesas hyacinthi rupe columnas.  
 90 Beryllo paries et iaspide lubrica surgunt  
 91 limina despectusque solo calcatur achates.  
 92 In medio glaebis redolentibus area dives  
 93 praebet odoratas messes : hic mitis amomi,  
 94 hic casiae matura seges, Panchaeaque turgent  
 95 cinnama, nec sicco frondescunt vimina costo  
 96 tardaque sudanti prorepunt balsama rivo.  
 97 Quo postquam delapsus Amor longasque peregit  
 98 penna vias, alacer passuque superbior intrat.  
 99 Caesariem tunc forte Venus subnixa corusco  
 100 fingebat solio. Dextra laevaque sorores  
 101 stabant Idaliae : largos haec nectaris imbrues  
 102 irrigat, haec morsu numerosi dentis eburno  
 103 multifidum discrimen arat ; sed tertia retro  
 104 dat varios nexus et justo dividit orbes  
 105 ordine : neglectam partem studiosa relinquit.  
 106 Plus error decuit ! Speculi nec vultus egebat  
 107 judicio. Similis tecto monstratur in omni  
 108 et rapitur quocumque videt. Dum singula cernit  
 109 seque probat, nati venientis conspicit umbram  
 110 ambrosioque sinu puerum complexa ferocem  
 111 "Quid tantum gavisus ? ", ait ; "quae proelia sudas,  
 112 improbe ? Quis jacuit telis ? Iterumne Tonantem  
 113 inter Sidonias cogis mugire juvencas  
 114 an Titana domas, an pastoralia Lunam  
 115 rursus in antra vocas ? Durum magnumque videris  
 116 debellasse deum." Suspensus in oscula matris,  
 117 ille refert : "Laetare, parens ; inmane trophyum  
 118 rettulimus : nostrum jam sensit Honorius arcum.  
 119 Scis Mariam patremque ducem qui cuspide Gallos  
 120 Italiisque foveat, nec te praeclara Serenae  
 121 fama latet. Propera, regalibus adnue votis :  
 122 junge toros." Gremio natum Cytherea refovit  
 123 et crines festina ligat peplumque fluentem  
 124 adlevat et blando spirantem numine ceston  
 125 cingitur, impulsos pluviis quo mitigat amnes,  
 126 quo mare, quo ventos irataque fulmina solvit.  
 127 Ut stetit ad litus, parvos adfatur alumnos :  
 128 "Heus ! quis erit, pueri, vitreas qui lapsus in undas  
 129 huc rapidum Tritona vocet, quo vecta per altum  
 130 deferar ? Haud umquam tanto mihi venerit usu.  
 131 Sacri, quos petimus, thalami. Pernicius omnes  
 132 quaerite, seu concha Libycum circumsonat aequor,  
 133 Aegaeas seu frangit aquas. Quicumque repertum  
 134 duxerit, aurata donabitur ille pharetra."  
 135 Dixerat et sparsa diversi plebe feruntur  
 136 exploratores pelagi. Sub fluctibus ibat  
 137 Carpathiis Triton obluctantemque petebat

138 Cymothoen. Timet illa ferum seseque sequenti  
 139 subripit et duris elabitur uda lacertis.  
 140 "Heus," inquit speculans Amor, "non vestra sub imis  
 141 furta tegi potuere vadis ! Accingere nostram  
 142 vecturus dominam : pretium non vile laboris  
 143 Cymothoen facilem, quae nunc detrectat, habebis.  
 144 Hac mercede veni." Prorumpit gurgite torvus  
 145 semifer. Undosi verrebant brachia crines ;  
 146 hispida tendebant bifido vestigia cornu,  
 147 qua pistrix commissa viro. Ter pectora movit ;  
 148 jam quarto Paphias tractu sulcabat harenas.  
 149 Umbratura deam retro sinuatur in arcum  
 150 belua ; tum vivo squalentia murice terga  
 151 purpureis mollita rosis. Hoc navigat antro  
 152 fulta Venus ; niveae delibant aequora plantae.  
 153 Prosequitur volucer late comitatus Amorum  
 154 tranquillumque choris quatitur mare. Serta per omnem  
 155 Neptuni dispersa domum. Cadmeia ludit  
 156 Leucothoe, frenatque rosis delphina Palaemon.  
 157 alternas violis Nereus interserit algas.  
 158 Canitiem Glaucus ligat inmortibus herbis.  
 159 Nec non et variis vectae Nereides ibant  
 160 audito rumore feris : hanc pisce volutam  
 161 sublevat Oceani monstrum Tartessia tigris ;  
 162 hanc timor Aegaei rupturus fronte carinas  
 163 trux aries ; haec caeruleae suspensa leaenae  
 164 innat ; haec viridem trahitur complexa juvencum.  
 165 Certatimque novis onerant conubia donis.  
 166 Cingula Cymothoe, rarum Galatea monile  
 167 et gravibus Psamathe bacis diadema ferebat  
 168 intextum, Rubro quas legerat ipsa profundo.  
 169 Mergit se subito vellitque corallia Doto :  
 170 vimen erat dum stagna subit ; processerat undis :  
 171 gemma fuit. Nudae Venerem cinxere catervae  
 172 plaudentesque simul tali cum voce sequuntur :  
 173 "Hos Mariae cultus, haec munera nostra precamur  
 174 reginae regina feras. Dic talia numquam  
 175 promeruisse Thetim nec cum soror Amphitrite  
 176 nostro nupta Jovi. Devotum sentiat aequor,  
 177 agnoscat famulum virgo Stilichonia pontum.  
 178 Victrices nos saepe rates classemque paternam  
 179 veximus, attritis cum tenderet ulti Achivis."  
 180 Jam Ligurum terris spumantia pectora Triton  
 181 appulerat lassosque fretis extenderat orbes.  
 182 Continuo sublime volans ad moenia Gallis  
 183 condita, lanigeri suis ostentantia pellem,  
 184 pervenit. Adventu Veneris pulsata recedunt  
 185 nubila, clarescunt puris Aquilonibus Alpes.  
 186 Laetitiae causas ignorat dicere miles  
 187 laetaturque tamen ; Mavortia signa rubescunt  
 188 floribus et subitis animantur frondibus hastae.  
 189 Illa suum dictis adfatur talibus agmen :  
 190 "Gradivum, nostri comites, arcete parumper,  
 191 ut soli vacet aula mihi. Procul igneus horror  
 192 thoracum, gladiosque tegat vagina minaces.  
 193 Stent bellatrices aquilae saevique dracones :  
 194 fas sit castra meis hodie succumbere signis.  
 195 Tibia pro lituis et pro clangore tubarum

196 molle lyrae festumque canant. Epulentur ad ipsas  
 197 excubias ; mediis spirent crateres in armis.  
 198 Laxet terribiles majestas regia fastus  
 199 et sociam plebem non indignata potestas  
 200 confundat turbae proceres. Solvantur habenis  
 201 gaudia nec leges pudeat ridere severas.  
 202 Tu festas, Hymenae, faces, tu, Gratia, flores  
 203 elige, tu geminas, Concordia, nocte coronas.  
 204 Vos, pennata cohors, quocumque vocaverit usus,  
 205 divisa properate manu neu marceat ulla  
 206 segnities : alii finalibus ordine ductis  
 207 plurima venturae suspendite lumina nocti ;  
 208 hi nostra nitidos postes obducere myrto  
 209 contendant ; pars nectareis adspergite tecta  
 210 fontibus et flamma lucos adolete Sabaeos ;  
 211 pars infecta croco velamina lutea Serum  
 212 pandite Sidoniasque solo prosternite vestes.  
 213 Ast alii thalamum docto componite textu  
 214 stamine gemmato, picturatisque columnis  
 215 aedificetur apex, qualem non Lydia dives  
 216 erexit Pelopi nec quem struxere Lyaeo  
 217 Indorum spoliis et opaco palmite Bacchae.  
 218 Illic exuvias omnes cumulate parentum :  
 219 quidquid avus senior Mauro vel Saxone victis,  
 220 quidquid ab innumeris socio Stilichone tremendus  
 221 quaesivit genitor bellis, quodcumque Gelonus  
 222 Armeniusve dedit ; quantum crinita sagittis  
 223 attulit extremo Meroe circumflua Nilo ;  
 224 misit Achaemenio quidquid de Tigride Medus,  
 225 cum supplex emeret Romanam Parthia pacem.  
 226 Nobilibus gazis opibusque cubilia surgant  
 227 barbaricis ; omnes thalamo conferte triumphos."  
 228 Sic ait et sponsae petit improvisa penates.  
 229 Illa autem secura tori taedasque parari  
 230 nescia divinae fruitur sermone parentis  
 231 maternosque bibit mores exemplaque discit  
 232 prisca pudicitiae, Latios nec volvere libros  
 233 desinit aut Graios, ipsa genetrice magistra,  
 234 Maeonius quaecumque senex aut Thracius Orpheus  
 235 aut Mytilenaeo modulatur pectine Sappho  
 236 (sic Triviam Latona monet ; sic mitis in antro  
 237 Mnemosyne docili tradit praecepta Thaliae),  
 238 cum procul augeri nitor et jucundior aer  
 239 attonitam lustrare domum fundique comarum  
 240 gratus odor. Mox vera fides numenque refulsit.  
 241 Cunctatur stupefacta Venus : nunc ora puellae,  
 242 nunc flavam niveo miratur vertice matrem.  
 243 Haec modo crescenti, plena par altera lunae :  
 244 adsurgit ceu forte minor sub matre virenti  
 245 laurus et ingentes ramos olimque futuras  
 246 promittit jam parva comas ; vel flore sub uno  
 247 ceu geminae Paestana rosae per jugera regnant :  
 248 haec largo matura die saturataque vernis  
 249 roribus indulget spatio ; latet altera nodo  
 250 nec teneris audet foliis admittere soles.  
 251 Adstitit et blande Mariam Cytherea salutat :  
 252 "Salve sidereae proles augusta Serenae,  
 253 magnorum suboles regum parituraque reges.

254 Te propter Paphias sedes Cyprumque reliqui,  
 255 te propter libuit tantos explere labores  
 256 et tantum transnare maris, ne vilior ultra  
 257 privatos paterere Lares neu tempore longo  
 258 dilatos juvenis nutriret Honorius ignes.  
 259 Accipe fortunam generis, diadema resume,  
 260 quod tribuas natis, et in haec penetralia rursus,  
 261 unde parens progressa, redi. Fac nulla subesse  
 262 vincula cognatae : quamvis aliena fuisses  
 263 principibus, regnum poteras hoc ore mereri.  
 264 Quae propior sceptris facies ? Qui dignior aula  
 265 vultus erit ? Non labra rosae, non colla pruinae,  
 266 non crines aequant violae, non lumina flammae.  
 267 Quam juncto leviter sese discrimine confert  
 268 umbra supercilii ! Miscet quam justa pudorem  
 269 temperies, nimio nec sanguine candor abundat !  
 270 Aurorae vincis digitos umerosque Dianaee ;  
 271 ipsam jam superas matrem. Si Bacchus amator  
 272 dotali potuit caelum signare corona,  
 273 cur nullis virgo redimitur pulchrior astris ?  
 274 Jam tibi molitur stellantia serta Bootes  
 275 inque decus Mariae jam sidera parturit aether.  
 276 O digno nectenda viro tantique per orbem  
 277 consors imperii ! Jam te venerabitur Hister ;  
 278 nomen adorabunt populi ; jam Rhenus et Albis  
 279 serviet ; in medios ibis regina Sygambros.  
 280 Quid numerem gentes Atlanteosque recessus  
 281 Oceani ? Toto pariter donabere mundo."  
 282 Dixit et ornatus, dederant quos nuper ovantes  
 283 Nereides, collo membrisque micantibus aptat.  
 284 Ipsa caput distinguit acu, substringit amictus ;  
 285 flammea virginis accommodat ipsa capillis.  
 286 Ante fores jam pompa sonat pilentaque sacra  
 287 praeradiant ductura nurum. Calet obvius ire  
 288 jam princeps tardumque cupit discedere solem :  
 289 nobilis haud aliter sonipes, quem primus amoris  
 290 sollicitavit odor, tumidus quatiensque decoras  
 291 curvata cervice jubas Pharsalia rura  
 292 pervolat et notos hinnitu flagitat amnes  
 293 naribus accensis ; mulcet fecunda magistros  
 294 spes gregis et pulchro gaudent armenta marito.  
 295 Candidus interea positis exercitus armis  
 296 exultat sacerum circa ; nec signifer ullus  
 297 nec miles pluviae flores dispergere ritu  
 298 cessat purpureoque ducem profundere nimbo.  
 299 Haec quoque velati lauro myrtoque caneabant :  
 300 "Dive parens, seu te complectitur axis Olympi,  
 301 seu premis Elysias animarum praemia valles,  
 302 en promissa tibi Stilicho jam vota peregit.  
 303 En gratae rediere vices. Conubia pensat :  
 304 acceptum reddit thalamum natoque reponit  
 305 quod dederat genitor. Numquam te, sancte, pigebit  
 306 judicii nec te pietas suprema fefellit.  
 307 Dignus cui leges, dignus cui pignora tanti  
 308 principis et rerum commendarentur habenae.  
 309 Dicere possemus quae proelia gesta sub Haemo  
 310 quaeque cruentarint fumantem Strymona pugnae,  
 311 quam notus clipeo, quanta vi fulminet hostem,

312 ni prohiberet Hymen. Quae tempestiva relatu,  
313 nunc canimus. Quis consilio, quis juris et aequi  
314 nosse modum melior ? Quod semper dissidet, in te  
315 convenit, ingenio robur, prudentia fortis.  
316 Fronte quis aequali, quem sic Romana decerent  
317 culmina ? Sufficerent tantis quae pectora curis ?  
318 Stes licet in populo, clamet quicumque videbit :  
319 "Hic est, hic Stilicho ! " Sese testatur et offert  
320 celsa potestatis species, non voce feroci,  
321 non alto simulata gradu, non improba gestu.  
322 Adfectant alii quidquid fingique laborant,  
323 hoc donat Natura tibi. Pudor emicat una  
324 formosusque rigor vultusque auctura verendos  
325 canities festina venit. Cum sorte remota  
326 contingat senio gravitas viresque juventae,  
327 utraque te cingit propriis insignibus aetas.  
328 Ornatur Fortuna viro. Non ulla nocendi  
329 tela nec infecti jugulis civilibus enes.  
330 Non odium terrore moves nec frena resolvit  
331 gratia ; diligimus pariter pariterque timemus.  
332 Ipse metus te noster amat, justissime legum  
333 arbiter, egregiae pacis fidissime custos,  
334 optime ductorum, fortunatissime patrum.  
335 Plus jam, plus domino cuncti debere fatemur,  
336 quod gener est, invicte, tuus. Vincire corona ;  
337 insere te nostris contempto jure choreis !  
338 Sic puer Eucherius superet virtute parentem ;  
339 aurea sic videat similes Thermantia taedas ;  
340 sic uterus crescat Mariae ; sic natus in ostro  
341 parvus Honoriades genibus considat avitis."